

10  
B 4



Frischmatlii Dissertationes XLVIII.

1. Frischmuth, Joh., de primogenitura
2. " " , de rege eligendo  
ac Hebraeorum
3. " " , Discursus Judaeus
4. " " , Velamentum Moysi  
et in vaticinio Jeremiae
5. " " , De sacrae scripturae  
divisione
6. " " , De pontificatu  
Oratio inaug.
7. " " , De reductione servorum  
nostrum ex hor.
- 8-12. " " , De ligatione Jo.
- 13 " " , De circumcisione
- 14 " " , de arca foederis
15. Schmidius, Seb., Quoniam
16. Frischmuth, Jo., de represse  
avertendam

1. Frischmuth, Joh., de primogenitura: Dissert. Jenae 1649.
2. " " , de rege eligendo et deponendo. discursus ex Deuteronomio 17. ac Hebraeorum commentarius — . Jenae 1653.
3. " " , Discursus Judaici de Vaticinio Jacobaeo Gen. 49, 8-11. 1655
4. " " , Velamentum Mosaicum, Judaeorum oculis oppositum et in vaticinio Gen. 49, 10. ostensum. Jenae 1650.
5. " " , de sacrae scripturae in legem, prophetas et hagiographia divisione Dissert. Jenae 1665.
6. " " , de pontificatu Mosis a B. Nihasio frustra aperto. Oratio inaug. dicta 1649. Jenae 1673.
7. " " , de reductione serpentis antiqui, qui primum Parentem nostrum ex horto Eden exulare fecit Dissert. Jenae 1675.
- 8-12. " " , de ligatione Isaaci Dissert. I-V. ex Gen. 22. Jenae 1662-65.
13. " " , de circumcissione Lipporae ex Exod. 17, 24-26. Jenae 1663.
14. " " , de arca foederis. Ed. II. Jenae 1676.
15. Schmidius, Seb., Quonam arca foederis perrenerit. Ed. II. Jenae 1676.
16. Frischmuth, Jo., de sepimento, quod ad Legis divinae violationem avertendam Ebraei fecisse leguntur. Dissert. Jenae 1674.
17. " " , de Dermis Dissert. Jenae 1657.
18. " " , de pontificum Ebraeorum vestitu sacro. Jenae 1659.
19. 20. " " , de hircu emissario populi peccata in desertum bajulante Dissert. I. II. Jenae 1664. 68.
21. " " , de loco Deut. 17, 8. — : an Ebraei statuunt, idem simul pope esse et non pope esse. Jenae 1656.
22. " " , de propheta Morisar ad illustr. locum Deut. 18, 15. 14. Jenae 1675.
23. " " , de Mesia dei filio Dissert. Jenae 1676.
24. " " , de reverentia Mesiae, filio dei, praestanda Dissert. ad illustr. locum De. II, 12.

25. Frischmuth, Joh., de Messia in sepulchro non relinquendo - super  
Is. 53, 10 Dissert. Jenae 1658.
26. " de flebili Messiae in cruce pendente gemitu. Jenae 1663.
27. " de manuum pedumque Messiae in eadem crucifissione  
perforatione ex Is. 52, 14. Dissert. Jenae 1663.
28. 29. " deum non sacrificiorum liturgia, sed unica illa  
Messiae pro reatu se tradentis hostia placari posse  
ostenditur ex Is. 40, 14. Dissert. par. 1. II. Jenae 1672.
30. " de Evangelio Sionae expresso Dissert. ex Isa. 11, 1. Jenae 1669.
31. 32. " de primo quem in veri nominis Messia Judaei  
exigunt Characteri Dissert. ex Isa. 51, 1. Jenae 1666.
33. " de non speranda arcae foederis restititione Dissert. ex  
Jerem. 31, 14. Jenae 1656.
34. " de nomine Messiae glorioso Dissert. ex Jerem. 23, 6  
Jenae 1669.
35. 36. " de foedere novo super Jer. 31, 31. 32. Dissert. 1. II. Jenae 1671.
37. " de melechet caeli - ex Jerem. 44, 17-19. Jenae 1663.
38. " Messiam prius secundum compulsum Demitris 18, 14  
apparuisse ostenditur. Jenae 1670.
39. " de 70 hebdomadibus earumque divisione ex Dan.  
12, 25 Dissert. Jenae 1671.
40. " de Messiae excisione et Hierosolymorum devolutione  
Dissert. ex Dem. 18, 26. 27. Jenae 1672.
41. " de gloria templi secundi Dissert. ex Nagg. 7, 7-10 Jenae 1769.
42. " de Messia rege Sionae regis Justo et Salvatore Dissert.  
ad Zachar. 13, 9. 10. Jenae 1678.
43. " de vili illo et abjecto 30 argenteorum pretio, quo Messias  
aestimatus est ex Zach. 13, 12. 13. coll. c. Matth. xxvii, 9.  
Dissert. Jenae 1672.

44. Frischmuth, Jo., de Messia confixo coxae inftar unigeniti filii  
plangendo Dissert. ex Zach. 13, 10. 11. Jenae 1668.
45. " de angelo foederis Dissert. ex Malach. 3, 1. 2. Jenae 1660.
46. " Utrum agnum paschalem salvator noster eodem die  
cum Judaeis comederit - Dissert. Jenae 1674.
47. " de agno dei Dissert. ad Joh. 1, 29. Jenae 1674.
48. " de Judaeorum ementia - qui tempus adventus  
Messiae ex conjunctione Saturni et Jovis in sidere  
piscium indicare praecurrunt. Dissert. Jenae 1677.
49. " de pircina Betherdea ex Joh. 7, 2. Dissert. Jenae 1659.
50. " de via Sabbati Dissert. ad Act. 1, 12. Jenae 1670.
51. " Exercitium - ad loca quaedam Scripturas illustranda -  
quibus Turcorum Persarumque doctores Muhammedem  
veri nominis et a deo promissum fuisse prophetam  
probare satagunt. Jenae 1685.
52. " de sacrificiis cum primis iis, quae sanctis hauri  
longe ab initio rerum Numini ligentur obtulisse.  
Jenae 1653.



בכורה

De

PRIMOGENITURA  
DISSERTATIO

Quam

Consensu Amplissimi Philosophorum Collegii

PRO LOCO

in eodem benevolè sibi concesso

PP.

M. JOHANNES Frischmuth /

Linguar. Orient. Prof. publ. extraordi-  
narius & h. t. Scholæ Senat.

et.

Rector

Respondente

M. ERHARDO FABRO, Norimbergensi.

Mense Junio

J E N Æ,

Literis GEORGI SENGENWALDI,

Anno M. DC. II.

15

**V I R O**  
*Nobilissimo, Amplissimo, Consultissimo*  
**DN. ADAMO SCHELLERO,**  
J. U. D. Curiã Provincialis Saxon. Advoca-  
tato, nec non Consiliario & Præfecto in  
Tauttenburg. Niederntrebern. &  
Frauprisnitz gravissimo,

*Domino Patrono atq; Promotori suo*  
*humilimã mentis devotione perpetim*  
*suspiciendo,*

Exercitiũ hoc Philologicum sub-  
missã mente & manu

*Offert.*

**M. ERHARDUS FABER**  
Norimb.







בגבורת השם:

I.



Primogenitus Ebraeis בכור dicitur, fratribus natu minoribus, quos כנים פשוטים *filios secundarios* vocare amant, non heri demum aut nudius tertius coepit praeferi, sed multis retrò seculis praerogativa quaedam ejus quodammodò fuit propria. Sanè si

Herodoto fides habenda est, apud universos homines institutum fuit, ut liberorum natu maximus principatum obtineret. Sexcentas etiam gentes istum morem tenere A. Tiraquellus autor est, quæ cum Ebraeorum jus omnium antiquissimum sequi dicantur, visum est faciendum, ut in praesens examateria oppidò diffusà quaedam adferremus.

de Jure Primogeno

II. Dicenda tamen prius quaedam sunt de voce ipsa, quàm rem attingamus. Rabbi D. Kimchi in libro radicum eam sic explicat: הפרי ראשון *fructum primum significat.* Vocatur etiam ראשית און *primitia roboris*, quòd plus de paterno robore participare, & reliquos postea nascentes viribus ferè excedere putarentur primogeniti. Ac non modò naturæ rationali, sed etiam brutis, ipsisq; adeò inanimatis in sacris tribui exempla adducta à Kimchio ostendunt. Quàm pulchrâ emphasi Salvator quoq; noster ἀπαρχὴ τῶν κεκοιμημένων

rad. בכר

lib. 3. Græ. fac p. 60. Comment. ad l. cit. I. Cor. 15. v. 20. πρῶτον & πάσης κτίσεως Col. 1. 15. πρῶτον & ἐκ τῶν νεκρῶν Apoc. 1. v. 5. vocetur, Dn. D. Glassius & Wilh. Estius eleganter docent. Scire præterea licet, vocem usurpari ad denotandum aliquid magnum & excellens, sive bonum quid significet, sive secus. Et huc referendus est v. 13. cap. 18. Jobi. *comedet ramos ejus primogenitus mortis*: ad quæ verba sic commentatur. Kimchi: בכור מורת המלאך

הממונה על מות יקרא בכור מות שיש לו חלק גדול כמות

במות[?] או המת קודם זמנו יקרא בכור מורת. ואני  
אבי זכרוננו לברכה פירש בכור מורת החולי הראשון  
: *b.e angelus morti praefectus, vocatur primogenitus mortis, quod ipsi magna potestas est in mortem, aut vocatur sic ille, qui praematurè mortem obit. Et Dn. Parens meus b.m explicat de primo morbo, quò qui laborat, mori solet.*

III. Rem ipsam quod attinet, Lex divina positiva Deut. 21. v. 15. legitur his verbis: *cum fuerint viro dua uxores una dilecta & una exosa, & peperit eis filios dilecta & exosa: & fuerit primogenitus exose, Et erit in die, quâ heredes bonorum suorum constituet filios suos, non poterit donare primogeniturâ filium dilecta ante filium exose primogenitum, quia primogenitum exose agnoscet: לו דתת לו פי שנים ככל אשר לו:* dando ei duas partes in omni, quod in ventum fuerit ei, quia ipse principium fortitudinis ejus.

IV. Judeos, quantum vis hodie extorres legis hujus non immemores esse, liber eorum ritualis vel juridicus Schulchan Aruch non modò ostendit, sed etiam Rabbiorum a quila Maimonides, sic de ea re loquitur in Mischneh-Torah:

Hilko  
בחרות  
cap. 2.

הבכור נוטר פי שנים בנסנסי אביו שנאמר לתת לו פי שנים. כיצד הניח ה' בנים ואחר מהן הבכור הבכור נוטר שליש הממון וכל אחר מארבעה פשוטים נוטר שתות. הניח תשעה בנים הרי אחר הבכור נוטר חמישית וכל אחר מן השמנה פשוטים נוטר עשירי וכן על החלוקה: *sensus verborum hic est: Primogenitus duas accipit partes de paternis bonis, quia dictum est, Deut. XXI. v. 15. dando ei duas partes &c. si ergò quis reliquerit quinq; filios, & unus illorum est primogenitus, tertiam partem bonorum & quilibet reliquorum sextam capiat. Ubi verò novem reliquit, & unus ex illis & primogenitus, quintam partem & singuli reliqui decimam accipiant, & juxta hunc modum perpetuò dividere solent.*

V. Complura alia loco citatò tradit, quæ הקבלה ex traditione orali se hausisse, diu est, quòd Judæi affirmârunt.

Anxiè

Anxiè præterea disputant, an lex tantum **בְּעֵקֶר** *immobilia bona*, an verò & **מִטְּלֵי** *mobilia* respiciat, de quibus alibi fuerit dicendi occasio. Feruntur sanè recutiti etiamnum quemadmodum aliis, sic & hâc lege uti, Christianò magistratu vel infcio vel connivente, quòd nihil Judaicæ superstitionis involvat, & non evertat honestatem.

VI. In hisce immorari, ut dictum, decretum nobis non est, sed ulterius progredi & percunctari; Ipsiusne Naturæ dictamen præcipiat inter fratres ejusmodi discrimen, an verò lege tantummodò positivâ aut consuetudine nitatur? an item illa, quæ magnò consensu ab autoribus, maximè Pontificiis de eâdem re hucusque tradita sunt, omni dubiò careant? Fuerunt sanè, qui dicerent post homines natos actutum primogenitum præ cæteris filiis eminuisse. Sanderus enim & Jodocus Coccius ut obtinerent etiamnum dari Monarchiam in Ecclesiâ, quam Pontifex Romanus jure gerat, asseruerunt jam inde ab Adamo usque viguisse ejusmodi potestatem in religionis negotio, quæ fuerit primogenitorum, ceu videre est apud Danielem Chamierum Panstrat. Cathol. tom. 2. lib. IX. cap. 9.

Huic sententiæ non multum absimilis est illa, quam sibi <sup>l. 3. cap. 9.</sup> refutandam sumpsit Franciscus Svarezius defensione <sup>de Primatu summi Pontificis.</sup> Fid. Cathol. adversus Angliæ Sectæ errores: *Expendamus inquit, titulos, quibus Rex (Jacobus) jus suum firmare aut apparenter defendere tentat. Primus est, quia jure Naturæ hæc duæ potestates conjunctæ sunt, regia & sacerdotalis, ergò hoc jus naturæ manet integrum in lege Gratiæ, quia gratia non destruit naturam, neq; lex Christi data est, ad tollendam legem naturæ, sed perficiendam. Assumptio probatur, quia ante legem Christi & Mosis jus tantum naturale observatum est: nam idèò tempus illud naturalis legis vocatur. In illo autem tempore iidem erant reges & sacerdotes, ut constat de Melchisedec, Abrahamo, Isaaco Jacob, & generaliter ex recepta regula, quod eo tempore primogeniti & regni heredes erant & simul sacerdotes, ut sumitur ex Hieronymi epistolâ 126. ad Evagr. & Ruperto lib. 5. in Gen. c. 12.*

VII. Ad hæc hunc in modum respondet Connimbriensis Academiæ Professor acutissimus: *admissâ illâ consuetudine*

dine, quæ non solum inter fideles, sed etiam inter gentiles viguisse videtur, negamus illam esse de jure naturali, idest, lege naturali præceptam, licet mediante ratione & voluntate humanâ à generalibus principiis juris naturalis originem duxerit. Quia licet sacrificium sit aliquo modo de jure naturali, & consequenter etiam sacerdotium, quod autem tali modo sit institutum, & his vel illis personis attributum, non est jure naturali præscriptum, sed jure aliquo positivo definiri necesse est. Et hoc modò ante legem vel jure gentium, vel populorum introductum est, ut dignitas sacerdotalis præcipua cum regali esset conjuncta. Qui mos sicut in lege veteri mutatus fuit: ita etiam in novo mutari potuit.

II. An acu rem tetigerit Suarius, Theologorum est dispicere: Conferri cum ipsius verbis debent, quæ fusè & expressè de ea re disputat maximè Reverendus & Excellentissimus Dn. D. Joh. Tobias Major, hujus Univ. Prof. celebratissimus, ad cap. 20. Actorum p. 128. seqq. Facili sanè negotio ostendi potest contra Sanderum & Coccium potestatem jurisdictionis spiritualem primogeniti quâ talis non fuisse. Quem admodum enim aliàs potentia non excedit objectum suum, adæquatum, nec circa aliquid exercere solet actum suum, quod sub objecto suo adæquato non comprehenditur: ita etiam ex jure naturali immediatè ejusmodi potestas non potest primogenito convenire: quia potestas gubernativa humana non transcendit ordinem humanum & principaliter instituitur ad ordinandum homines ad se invicem, ita ut licet curam habere possit divini cultus semper in modo ac determinatione illius respiciat commune bonum reip. humanæ. Nec à Deo in illo statu potestas specialiter data legitur, quin potius cœtu ejusmodi insigni non existente, fratres promiscuè sacris operabantur, ut historia Caini & Abelis innuere videtur.

Lucubr.  
Franktal-  
lens. cap. 1.

IX. Cornelius quidem Bonaventura Bertramus pro certò affirmat, Cainum tantoperè doluisse, quòd Abel sibi in Ecclesia regendâ præpositus fuisset. At sacerdotium naturâ cum primogenitura non cohæret, nec inter utrumque necessarius est nexus. Deficiente igitur lege positivâ, aut consuetudine mox ab orbe condito receptâ, causæ nihil videmus, cur ejus sententiam nostræ adscribamus. Non

enim solum interpretes Christiani aliam causam exca-  
descendunt illius allegant, sed etiam Judaei ipsi, sacerdotii alio-  
quin defensores, in alia omnia hic abeunt. Rabbi quippe  
Bechai censet eum succensuisse, quod Abel סוד הקרבנות  
*arcanum sacrificiorum offerendorum* nosset, Targumista vero  
contendit, ob ultimum iudicium à fratre defensum, id factum  
esse; verba ejus haec sunt: ואמר קין להבל אחוהי ליר:

יין וליר דיון וליר עולם אחורן וליר אגר טב  
לצדיקינא וליר פורענות לרשיעינא ואמר לקין  
אחוהי איר דין ואיר דיון ואיר עולם אחורן  
את אגר טב לצדיקינא ואיר פורענות לרשיעינא  
והוּנא במהויהון בחקלא וקם קין אר אכל וקטליר:

Comment.  
ad cap. cit.

hoc est: *Et dixit Cain ad Abelem fratrem suum, non est iudicium,  
nec iudex; non est alia vita, justis non est merces, nec impiis poena.  
Respondit patri suo Abel, omnino est iudicium & iudex, alia  
vita est futura, & pius merces sua manet & impius supplicium. &  
cum essent in agro, Cain eum interfecit.*

X. Quicquid ejus sit, multò rectius primum vestigi-  
um primogeniturae Gen. 25. v. 31. deprehendi dicitur, ubi Jaco-  
bus fratrem natu majorem his compellat verbis: *Vende mihi  
primogenituram tuam.* Non temerè sanctum virum hujus di-  
gnitatis cupidum fuisse, ut credam, facile à me impetrare pos-  
sum, nec Esavus tam flebili oratione damnum patri suo esset  
conquestus, nisi rei magni momenti se jacturam fecisse ani-  
madvertisset. Cujus ramen intuitu experiverit, non aequè  
est liquidum. Judaei antiquissimi in Bereschit Rabba ita lo-  
quuntur, ceu refert Jalkut ad Gen. l. cit. מה ראה יעקב  
אבינו ליתן נפשו על הבכורה דתנן עד של  
הוקם המשכן היו הכמורה מותרת ועבודה  
בבכורות משהוקם המשכן נאסרו הבמות ועבודה  
כהנים id est, *Quid Jacobo patri nostro incitamento fuit, ut jus  
primogeniturae expeteret? Quia traditur excelsa fuisse licita, ante-  
quam tabernaculum extructum esset, atque adeò sacerdotio fun-  
ctos*

Etos primogenitos. Extructo verò tabernaculò excelsa illicita fuisse  
& functionem ad sacerdotes spectasse.

Comment.  
in Penta-  
teuchum  
fol. 33. col.  
4.

ad l. cit.

XI. Huic traditioni certatim insistant Rabbini, qui sacerdotium sive cultum divinum ab Esavo spretum, Jacobo verò maximi æstimatum perhibent. Ex multis duos tantum audiamus, Sic R. Bechai. רצוה למכור ולהחליף חיי שער. בחיי עולם היג עבודת השם יתברך שהיתה בבכורות voluit Jacobus commutare transitoria hujus mundi rebus duraturis in vita æterna, dum primogenituram emit, ad quam cultus divinus pertinet. Rabbi Salomonis verba hæc sunt: העירי הכתוב על רשעו שכיוור עבודתו של מקום. Scriptura testatur de impietate ipsius, quòd spreverit cultum divinum.

de Religio-  
ne ab ori-  
gine Mun-  
di usq. ad  
Mosen lib.  
3. cap. 8.

XII. Sanctus Hieronymus, quò unò nemo Patrum ebraicè doctior fuit, & cum Judæis plus habuit commercii, Traditionis itidem semel atque iterum facit mentionem. Epistolâ videlicet 126. ad Evagrium & in Tradit. Ebraicis super Gen. c. 49. Ad verba item Gen. 27. Et sumpsit Rebecca vestimenta filii sui majoris, quæ erant desiderabilia apud se domi, sic commentatur: in h. l. tradunt Ebraei, primogenitos functos officio sacerdotum & habuisse vestimentum sacerdotale, quo induti Deo victimas offerebant, antequam Aaron in sacerdotem eligeretur. Jacobus Bolduc præmissis his ipsis Hieronymi verbis, audacter sacerdotiū innui asseverat: vestes, inquit, ille respiciunt sacerdotium, non primogenituram, eò quòd aliorum quidem filiorum vestes poterant esse pretiosæ, qualis videtur fuisse illa Josephi polymita Gen. 37. v. 3. Ista verò forma sacerdotalis erat, exquisitis odoriamentis perfundebatur, ut conveniret sacerdoti, qui oleò pretiosò perfundebatur, quòd non obscure indicant verba, statimque ut sensit, vestimètorum fragrantia benedicens illi &c. quasi ex sola tanquam peculiari fragrantia securus factus, quòd esset primogenitus, cui soli tale competeat vestimentum & ad hanc sacerdotij benedictionem accipiendam solum modò erat paratum, affectatum à matre, sic odoramentis imbutum ac diligenter servatum, eademq. benedictione ex profano fiebat deinceps sacrum ac sacerdotale.

XII. Nec Jesuitæ, quibus Traditiones sublestæ licet  
fidei

fidei auditu longè sunt gratissime, dissentiunt: Sic n. Cornelius à Lapide: *Quadruplex erat jus primogenitura in lege naturæ* 1. *Comment. in Pentateuchum ad* *Primogenitus erat princeps fratrum suorum, quasi pater & dominus* 2. *duplices partes accipiebat indivisione hereditatis* 3. *Sacerdos erat familiae*. Hinc Ebraei explicant illud, *vende mihi primogenitum, id est, ipsum sacerdotium*. 4. *quod pater moriens peculiariter primogenito benedicebat*. Jacobus item Bonfrerius tametsi actoni *ad Leviticum* Rebecca Gen. 27: nihil cum sacrificio commune fuisse testatur, causam nihilominus expetitæ à Jacobo primogenituræ redditurus, factum id esse ait; *quia à cæteris fratribus suspiciebatur* 2. *digniore in mensa loco sedebat* 3. *duplicem in hereditate portionem habebat*. 4. *à patre morituro peculiari modo benedicebatur* 5. *moriente patrefamiliæ ipse in locum ejus succedebat*. 6. *in jus sacerdotij succedebat*. Benedictus deniq; Pererius octo prærogativas enarrat. Bartoldus Nihusius primogenitum in sua *Hypodig. sect. X.* familia principem in sacris & profanis tum temporis fuisse intrepidè asseverat.

XIV. Quæsitum hinc fuit ab autoribus, ecquomodo Jacobus, perseverantissimæ pietatis nomine celebris à Simonia, crimine non mediocri absolvi queat, quæ dicitur esse *studiosa voluntas emendi aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*; quibus posterioribus verbis etiam vasa & vestes sacræ ad sacrificium comprehendi Paulus Laymannus autor est. Esavo Simoniae crimen expressè impingunt Thomas, Lyranus & Cajetanus, qui ut Jacobum excusent, ajunt eum non emisse, sed quod suum, erat, ab injusto possessore redemisse. *Theol. moral. l. 4. tract. 10. cap. 8.*

XV. Henningus Arnisæus consimiliter Jacobum excusandum existimans, hunc in modum disserit: *Possè jus Primogenitura abdicari demonstrabimus. Quemadmodum Jacobus illud abstulit fratri Esavo in spem venditionis frustulum panis offerens & pulmentum lentis Gen. 25. Quanquam nec emere voluit Jacobus, nec sine peccato fratris, fame & lassitudine ad questum abusus, eum inducere potuit ad vendendum; sed cum sibi divinâ destinatione iam aliàs deberi ex matre intellexisse poterat.* C. laudemus de divort. gloss. in cap. quam periculosum verba primatus in fin. 7. q. 1. *Sub specie contractus, quam sub simplici cessione acceptare maluit.* Esav. *Relect. Politic. lib. 1. cap. 2. sect. 8. num. 28.*

B

vero

verò, quia per temeritatem jus suum abdicarat, injuriâ à fratre non afficiebatur.

XVI. Dubitat tamen non nemo, an solidi quid Thomæ & soeiorum responsioni subdit: tùm quod non constet Esavum utpote primogenitum injustum possessorem fuisse; tùm quod Isaacus Θεοπνεύτως eidem tanquam primogenito benedicere voluit, & expressis verbis Jacobus fratrem ad vendendum sollicitavit. *pag. 181.* Cornelius à Lapide asserit *ideò Jacobum non peccasse, quia intenderit emere tantum jus primarium primogeniturae, quod temporale erat & vendibile, sicuti vendi & emi ager potest, cui annexum est jus Patronatus.* Sic utrinque multa de primogenitura istius venditione disputantur, quæ tamen excutere nolumus, hoc maximè quærentes, utrùm Gen. 25. & 27. capitibus planum fiat, id temporis Sacerdotium in primogenitura fuisse comprehensum, ceu toties huc usque affirmatum est? Quod si probari nequit, nihil proprius factum videtur, quàm ut suspicemur, Hieronymo imposuisse Judæum, quem, sicubi hærebatur, veluti Apollinem consulere solebat Pater sanctitate non minùs quàm eruditione maximè venerabilis.

XVII. In eam hinc ferè concedo sententiam, ideò traditionem illam tanti non esse faciendam, quòd ipsi Rabbini commentatores ad Gen. 27. nullam faciunt mentionem vestium Sacerdotalium. Jarchi enim traditionum ut qui maximè tenax, vestes pretiosas ait fuisse, *מנקיוות דכייחנה בתרגומו* mundas, ut Chaldaus reddidit. Subjungit *דבר אחר שחמר* alia interpretatio obtinet, quod ea vestimenta à Nimrodo acceperit. Euerit igitur ornatus venaticus, si fides recutito habenda est. Quod tamè æquè adhuc incertum est ac illud, quod Bolducus asseverat, sacerdotales vestes oleo & exquisitis odoramentis perfusas fuisse. Scire enim per velim, unde Capuccino innotuerit, sacerdotes perinde tunc temporis, ut Aaronem Psal. 133. ungi consuevisse, cum suo suffragio vel ipsi Rabbini eum itidem destituant.

XIIX. Nec verba Gen. 25. sacerdotium redolent, cum Jacobus primogenitura tantum compos factus dicatur, suppresso eò, quæ tandem prerogativa fuerit. Est, qui ipsam be-  
nedi-



nedictionem paternam istòc nomine venisse persuasum ha-  
bet; sed hunc vers. 36. cap. 27. disertè redarguit, utpote quò be-  
nedictio primogenituræ contradistingvitur & utramque pri-  
mogenitum expectare solitum esse, clarè docetur. Alii ex pro-  
fligata vitâ Esavi iudicium facere conati sunt. R. Salomo ait:

בשרו שיעשרה ישמעה תשובה בימיו ולא יצא עשו *ad Gen.*  
לתרבורה דעה בימיו ולפיכך מת חמש שנים קודם *15. v. 15.*

אזמנו ובו ביום מרד עשו: *Ajunt Ismaelem vivente etiamnum:*  
*Abrahamo pœnitentiam egisse; Esavus quoq; non degeneravit,*  
*quo ad avus vixit, & ideò quinq; annos justò citius hic est mortuus,*  
*& ipso die mortis jugum (Esavus) excussit. Targum Hierosoly-*  
*mitanum sic de eodem: באפיס חולקה ואפס חולקה*  
*בזו עשו ובכורתה בעלמא שפריע Esav pri-*  
*mogenituram, & rejecit partem in seculo futuro, & negavit mor-*  
*tuorum resurrectionem. Sed horum omnium reum ne Bechai*  
*quidem eum ausus est postulare, qui ad verba Esavi: En mori-*  
*or, quid mihi proderunt primogenita? hæc commentatur:*

קרוב שאמרת בו בחיי אבי כלכתי לצוד החיות  
בשרה ובמרבורה ואחר כך מה התועלת המגיע  
לי מן הבכורה *Propediem futurum est, ut moriar cum egres-*  
*surus sum ad capiendas feras in agro & deserto eccui igitur tunc*  
*usui mihi est primogenitura? Quæ explicatio uti Esavum mor-*  
*tuorum resurrectionem negasse non evincit; ita quid perdidit*  
*primogenituræ venditione similiter incertum relinqui-*  
*tur.*

XIX. In Novo T. ab Apostolo Ebr. 12. v. 16. vocatur  
βεβηλός. Quæ vox loco tributa notat eum, quem ut Jaco-  
bus Capellus observat, cuius adire licet: hominis verò epithe-  
tò cū est, significat *μιαρὸν, ἀκαθάρτον impurum, contaminatū,*  
qualis omninò fuit Esavus, homo carnalis, qui ventri de-  
ditus unò eoq; vili edutio prærogativam, quanta quanta et-  
jam fuerit, vendidit, Syrus eum *remissum* nominat, Arabs  
*perduellem.* In Capitulis R. Eliefer is, ceu videre est in Jalkut, *ad Gen.*  
dicitur adhuc dum in utero materno colloqvutus cum Jacobo *25.*

B 2 &

אכילתו ושתיו ומשנת ומתן אשה להוליד & elegisse, *comestiones & potationes, conjugium & procreationem tam masculorum, quam foemellarum, ut omnes ferè sic in describendâ hominis levitate certâsse videantur.*

XX Equidem si verborum Esavi is esset sensus, quem Bechai th. 18. adfert; videri posset, primogenituræ jus id temporisejusmodi quid fuisse, quò reapse mortuo parente demū filio potiri solet, cujusmodi est vel principatus familiæ, aut hereditatis duplex portio, aut quid his analogum, quorum ultimum R. Bechai asserere nullus dubitat his verbis:

*hic. fol. 95. col. 10.*

אין מעלת הבכורה שבאותו זמן להורות לו פי שנים בנכסי אב יו שנצטוונו בחוררה אחר כן אל מעלת שדרה וכבוד אחר מורת האב שיהיה חוג במקום האב לנהוג שררה על יתר אחיו והם יכבדוהו כאביהם וגם בנכסים הורה לו יתרון ומעלה:

*hoc est, dignitas primogenitura id ætatis non duplicem includebat portionē honorum paternorum, quemadmodum postea (Deut. 21. v. 14.) præceptum est, sed consistebat in dominio & honore, quo primogenitus post mortem Patris afficiendus erat. Cum n. loco parentis esset, cæteris fratribus imperitabat, & hi honorabant eum instar parentis: aliqualis etiam prærogativa eum mansit in dividendis opibus.* Christianorum tamen complures, quos inter Dan. Chamier est, invitò Seldenò persuasissimum habent, ante Mosén similem rationem juris primogenituræ in familia eriscunda obtinuisse. Illis Fr. Junius succinit, qui legem Deut. 21. v. 14. non tum demum, sed multò ante divinâ revelatione datam & l. cit. à DEO confirmatam dicunt: paulò aliter tamen sensisse videtur Hugo. Grotius, *Jus inquit fratri-*

*Annot. ad Matth. 22. pag. 368.*

*andi est inter ea, quæ primum moribus recepta, mox divinæ legis auctoritatem acceperunt: qualia multa esse in Mose non est dubitandum.*

XXI. Quemadmodum verò in his talibus, quæ probabiliter asseruntur, sensu suo unumquemque abundare permittimus, sic eruditis adhuc perpendendum reliquimus, an

Judæo-

Judæorum sententia de sacerdotio, Jacobi tempore primogeniturae annexo, applausum mereatur, quam c. 25. Gen. nil admodum juvare indubium est. Ponamus enim in excelsis tunc immolasse mortales, nec peculiari loco mactanda sacrificia fuisse, uti postmodum vi legis Lev. 17. v. 4. & 9. ad ostium Tabernaculi id fieri oportuit. Esto etiam, familias singulas suos habuisse Sacerdotes, & sacerdotium majoris venerationis fuisse tunc, quam sequutis seculis, eò quòd oneri postea fuit, & ut Bechai refert, **רוכם חולים מחולי בני מעים מפני**

**שהיה עבודתם בכה ימור השנה בחלוק לכה** 107. col. 3.

**בשעה עבודה ועוד שהיו עומדים תמיד על הרצפה**

**והם יחפי רגליהם** *sacerdotes multi dolore colico correpti sunt,*

*cum cotidie tempore functionis indusio tantum induiti & discalceati starent super pavemento: nondum tamen consequens est, so-*

*los primogenitos spectasse sacerdotium, nec ratione firmam ap-*

*parere, cur id cum Thoma Aquinate aut aliis assertum eat,*

*Wilhelmus Estius disertè fatetur, Jesuitas, aliosque mode-*

*stia & candore nimium quantum superans, si inquit, (quod*

*multò probabilius ab eisdem Ebrais dicitur) ad primogenituram*

*principatus familiae pertinebat, non est verisimile ad eundem perti-*

*nuisse jus sacerdotii. Nam etsi interdum idem legatur fuisse rex*

*& sacerdos, ut Melchisedec, id tamen rarum erat, & quasi extraor-*

*dinarium. Sunt enim officia valde diversa regis & sacerdotis,*

*nec in eandem personam, ut sunt mores, ingenia & occupationes*

*hominum facile conveniunt. Itaque nullo modo credibile est, jure pu-*

*blico passim receptò hac duo fuisse aliquando conjuncta.*

XXII. Dicis, at Gen. 49. v. 3. idem tradi nubes testi-

um comprobatur, & ipse Chaldæus suomet confirmat suffragio,

infitiari nemo potest, Chaldæum stare à partibus Judæo-

rum, adeoque operæ pretium esse, ipsum Jacobum, primoge-

nito suo benedicientem dicam, an maledicentem, audire. Ver-

ba ejus hæc sunt: **רובן ראשון** *Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea &*

*principium roboris mei* **ויתר עיר** *excellens digni-*

*tate & excellens fortitudine, effusus es sicut aqua, non crescas,*

*quia ascendisti cubile patris tui & maculasti stratum ejus.* **ואע**

*Qeg. 116*

112. q. 103.  
art. 1. ad 3.  
2. 2. q. 87.  
art. 1. ad 3.  
comment.  
in Epist. ad  
Ebr. 12. v.  
16.



Chaldaei hæc est: חזרה לך ראובן ברי למסב תלתא חולקין יתיר על אחד בכורתה כהונתא מלכותה דחטיית ראובן ברי אתיהיבת בכורתה ליוסף ולמכותא ליהודנה וכהונתא רבתה לשבטנה דלוי.

id est: *Æquum quidem esset, mi fili Ruben, ut tres partes acciperes, quibus fratres tuos superares, videlicet, primogenituram, sacerdotium & regnum; sed quia pravaricatus es, data est primogenitura Josepho, regnum Judæ, & sacerdotium tribui Levi.* Simili planè modò explicat textum R. Bechai; & David Pareus eò in-

COMMENT.  
in Gen.  
pag. 1498.

clinat, Onkelos, inquit, de excellentia dignitatis sacerdotalis interpretatur, qua ante legem erat primogenitorum. Significare hanc videtur verbo Seeth, tollere quia & sacrificia levabant & manus imponebant Sacerdotes.

ad l. cit.  
fol. 58. col.  
4.

XXIII. Sententiam, quam Pareus paucis enarrat, R. Bechai adductis Scripturæ dictis sic confirmat: הכהונה יתיר שאר ומלשון ושיאורת כפי' וכתיב יאותה נתן לכם לשאת את העון העדרה והמל' כות שאכר יתיר עמנו:

Sacerdotiū intelligitur per verba Iether Seeth, & habet significatum elevationis manuum, scriptum enim est, Lev. 10. v. 17. illa data est vobis, ut portetis iniquitatem cœtus. Et regnum innuitur, dum dicitur Iether Oz, fortitudo ex locutione 1. Sam. 2. v. 10. Et dabit fortitudinem regi suo. Longè verò alium sensum elicere conatur R. Joseph Kimchi, ut filius eius David ipsemet testatur his verhis זכרונו ארוני אבי זכרונו לברכת כן פירש מורה יתיר שאנת ויהנה תפלה לאר' יתברך שיגביר על העון וזו הינה הברכה שברכו

lib. rad. in  
נשי

Dn. parens meus b. m. verba illa Iether Seeth explicat de precibus, quas fuderit Jacobus pro Rubeno ad Deum, ut condonat à culpâ expiationem ratam velit habere pro commissa iniquitate, & sic ei benedixit.

XXIV. Coeterum nullas hîc preces contineri, scopus textus luculenter docet, qui Josepho maxime adversatur. Patriar-

triarcha enim Rubeno monstrat, quantâ dignitate per incestum exciderit, comminando futurum, ut nunquam emineat.

Hinc R. David Kimchi, parentis sui sententiâ valere jussâ, multo rectius explicat: **יתר שאת כלומר יתרון חגרו לך**

**והתוקף היה ראוי לך לולי שעלית משכבי אביך:**

hoc est, *Absq; illo facto nefariô esset, magnam prerogativam & potentiam jam acciperes.* Nec R. Bechai sententia extra omnem dubii aleam est posita, id quod paucis quantum per chartæ angustias licet, venit ostendendum.

XXV. Verbum **נשׂו** pro diversitate constructionis variè usurpari ipse B. Lutherus, ultimô præstantissimo sui ingenii foetu fatetur: *Non possum, inquit, me extricare ex Grammaticorû spinis. Vocabulum Seeth valde latè patet, accipere, assumere, portare, levare, decipere remittere &c.* Lis ergo est in infinitivo **נשׂו** nominis vim obtinente, id quod apud Ebraeos freques esse & Kimchi docet, & post eum Dn. D. Glassius confirmat egregiè, Quo maximè sensu verò intelligendum hoc sit, est in quaestione. Bechai pro *elevatione manuum aut sacerdotali officio*, accipit. Vereor, ut exemplum adductum quadret. Etsi enim radix **נשׂו** cum vocabulo peccatum denotante constructum inter alia significatum hoc sustinere potest; nulla tamen necessitas postulat, ut ubi absolutè & sine additamento occurrit, itidem sic interpretemur. Quin sæpe ne permittit quidem textus, Hinc Kimchi divortium faciens à sociis optimè per **יתרון חגרו לך** excellentiam vel prerogativam magnam reddidit, præcisô eô, in quô illa sita fuerit, quem sensum satis commodum esse loca sequentia docent. Habac. I. vers. 7. Psal. L XII. v. 5. Job. XIII. v. 11. Cap. XXXI. vers. 23. Cap. XXXXI. v. 17.

XXVI. Neque est, ut Chaldæi Interpretis autoritate ubique moveamur: Auctores enim translationum Chaldaicarum fontes liberiusculè interpretari, ejusque rei rationem è scriptis Rabbinnicis unicè propemodum dependere & traditionibus, quas majoribus acceptas referunt, haud ita pridem monuit Excell. Dn. Hackspan, quô hospite antehac benivolo & de-

Com. in Gen. ad h. l.

ad R. Lipno Nizza. shon pag. 402.



Exercit. in  
Baron. p.  
458.

dexterrimò usus sum præceptore, cujusque etiamnum grata  
& jucunda mihi est memoria. Nec Kimchi, quod sciam, hîc ad-  
stipulatur Chaldæo. Tamen si enim incomparabilis Causabo-  
nus alicubi eum accuset, *apparet, inquit, ipsum nullum judicium  
adhibita secutum esse, ut passim solet, Targum Jonathanis,  
cui paraphrasta quâ tum in hac parte tribuendum sit, judicium esto  
doctiorum: planè tamen persuasum habeo, eum præ cæteris  
ferè Rabbinis scrutantem sensum literalem, traditiones habu-  
isse neglectum.*

XXVII. Alibi sanè, ubi jus majoratûs à Rubeno amis-  
sum de integro recensetur, mentio sacerdotii fit omninò nul-  
la, nec Kimchi ibidem commentans ejusdem meminit:  
I. Paralip. V. v. 1. dicitur: *Ruben fuit primogenitus Israelis, sed  
cum violasset thorum patris sui, data sunt primogenita ejus filiis Jo-  
sephi, filii Israel & non est illis reputatus in primogenitum. Porro Judas  
qui erat fortissimus inter fratres suos, de stirpe ejus principes germi-  
nati sunt: primogenita autem reputata sunt Ioseph.* Verba Kim-  
chii hæc sunt *כי הוּא הַבְּכוֹר כְּלוּמַר הוּא הַבְּכוֹר וְכוּ הִיא  
רְאוּי לְהַחֲרִיט סֵפֶר הַיְחֻסִים כִּי מִשְׁפַּט הַבְּכוֹרָה  
וּמִלְכוּת הָיוּ רְאוּיִם לוֹ אֲלֵנִי שֶׁבְחָלְלוּ יְצוּעֵי אָבִיו  
: Dum dicitur, quia est primo-  
genitus, sensus est: in ipso, quippe cui jus primogenituræ & regnum  
competebat æquum fuisset, ut inciperet genealogia, sed propter in-  
cestum primogenituram filii Iosephi acceperunt. Hinc Jer.  
31. v. 9. dicitur: *factus sum Israeli pater & Ephraim primogeni-  
tus meus est.* Ad quæ verba sic commentatur. R. Abarbanel, cu-  
jus Commentarii nuper obstetricante Menasseh B. Israel pro-  
dierunt *הִנֵּה קָרָא אֶת אֶפְרַיִם בְּכוֹר מִפְּנֵי בְרַכַּת יַעֲקֹב  
: Vocat Ephraim  
primogenitum propter benedictionem Iacobi Patris nostri, qui con-  
stituit Iosephum primogenitum accipientem duplicem portionem.**

Sed hic plura adjicere vetamur, & vel inviti quædam  
conflictui ipsi, & si Deus annuerit, futuro  
tempori reservamus.

Jb 2989

ULB Halle 3  
003 852 156




82

Wort

165









כְּבוֹרָה  
De  
**PRIMOGENITURA**  
**DISSERTATIO**

Quam  
*Consensu Amplissimi Philosophorum Collegii*  
**PRO LOCO**

in eodem benevolè sibi concesso

PP.

**M. JOHANNES Frischmuth** /  
Linguar. Orient. Prof. publ. extraordi-  
narius & h. t. Scholæ Senat. *et.*

Rector

*Respondente*

**M. ERHARDO FABRO**, Norimbergensi.

*Mense Junio*

J E N Æ,

Literis GEORGI SENGENWALDI,

Anno M. DC. II.